

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3879

**Auteur(s)** : Philippe III le Hardi, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Lessay, Sainte-Trinité (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1280, juillet

**Lieu d'émission** : Paris

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Philippe [III], roi de France, approuve l'abbé et les moines de Lessay de tenir 15 acres du bois royal situé à côté du bois de l'abbaye, bois de Hupelande, pour la réparation des dommages survenus lors de la vente du bois du Plessis et en compensation des usages de l'abbaye.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 947, p. 238.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum ballivus noster Constanciensis cum dilectis nostris abbate et conventu monasterii Sancte Trinitatis de Exaquo, ordinis Sancti Benedicti, Constanciensis diocesis, super restitutione quam dicti abbas et conventus petebant sibi fieri a nobis de dampnis que passi fuerunt et habuerunt occasione vendicionis nemoris de Plessiaco, in quo dicti abbas et conventus, ex donacione fundatorum suorum, tunc temporis dominorum ipsius nemoris, a fundacione sui monasterii, suum usagium habuerint ad omnes focos abbacie et ad omnia ejus edificia nova facienda et vetera reparanda, pro nobis et nomine nostro, composuerit, et pro predicta restitutione ipsis abbati et conventui assignaverit et assederit quindecim acras nostri proprii nemoris, siti juxta nemus dictorum abbatis et conventus de Hupelande, liberas et quietas tercio et dangerio, butantes, ex uno capite, ad landam que dicitur de Monte Castor, juxta portam de Monte Castor vulgaliter nuncupatam, et, ex alio capite, versus locum qui dicitur Niger Doitellus, et se extendunt in latum dicte quindecim acre nemoris ultra duas rochas in dicto Monte Castor versus terciam rocham in dicto nemore sitas, ac per predictas compositionem et restitutionem dicti abbas et conventus pro se et suis successoribus totum usagium quod in dicto nemore de Plessiaco habuerant nobis et successoribus nostris quittaverint et remiserint, et de predictis dampnis, que occasione predicta incurrerunt et possent incurrere in futurum inclite recordacionis carissimum dominum et genitorem nostrum Ludovicum Francorum regem, nos et omnes antecessores nostros absolverunt et quittos penitus clamaverunt ; nos, predictam compositionem ratam et gratam habentes, volumus et concedimus quod predicti abbas et conventus, in recompensationem predicti usagii et pro restitutione predictorum dampnorum, dictas quindecim acras nemoris teneant, ut dictum est, et possideant in futurum, salvo in aliis jure nostro et jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in

futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo, mense julio.